



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vitae Sanctorvm**

complectens sanctos Mensium, Aprilis, Maii & Ivnii

### **Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1603**

Martyrivi S. Bademi Archimandritæ, ex Simeone Metaphraste. Passus est Dominicæ Incar. 344. qui fuit persecutionis annus secundus, sub Persarum rege, Sapore.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42716**

\* *Bandeni.* MARTYRIVM S. BADEMI \* ARCHIEP  
*mandrite, ex Simeone Metaphraste. Passus est*  
*C. Baron. to. Dominice Incar. 344. qui fuit persecutionis ap-*  
*3. Annal. Ec. nus secundus, sub Persarum rege, Sapore.*

9. Aprilis. **Q**uo tempore quadraginta illi sancti mar-  
 tyres, gloriosum pro Christi nomine cer-  
 tamen subierunt Bademus vnà cum septē  
 suis quibusdam discipulis, Saporij regis iussu in  
 vincula coniectus fuit. Erat autem Bademus ori-  
 undus ex vrbe Betlapat, parentibus in primis  
 valdè diuitibus. Cùm verò contemptis diuitijs,  
 sperataque corporis voluptate, in sempiternę vo-  
 luptatis studium tota mente duceretur, mona-  
 sterium extra urbem ædificauit, & iugi diuinari-  
 rerum meditatione, ad eximium & rarum quod-  
 dam sanctitatis decus peruenit.

Cumque ex eo loco propter Christianæ pio-  
 tatis studium in carcerem protractus fuisset, mē-  
 ses admodum quatuor, cum septem discipulis  
 grauiam multa insigni patientiæ documento per-  
 tulit. Erat autē eo tempore princeps vrbis Aria  
 Nerfan dictus, vinculis similiter propter Chri-  
 sti nomen constrictus, sed is partim inani mor-  
 tis formidine victus, partim terrenarum rerum  
 cupiditate inflammatus, turpiter defecerat, & ad  
 Satanæ castra confugerat. Quo audito Rex incre-  
 dibili gaudio affectus, Bademum suis conspecti-  
 bus in atrio palatij præsentari iussit, vt eum vel  
 minis vel promissis eandem in pestem repelle-  
 ret. Sed cùm Bademum animo in Christi amore  
 egregiè firmato, minas pariter ac blanditias re-  
 pellere cerneret, Nerfan vinculis iam absoluto  
 mandauit, si vellet amplissimis eius potiri facul-  
 tatibus, stricto gladio eum inuaderet, ac crudeliter  
 interficeret.

Extrait mo-  
 nasterium.

Trahitur cū  
 suis discipu-  
 lis in carce-  
 rem.

Nerfan prin-  
 ceps vrbis  
 Aria defecit  
 à Christo.

internecone deleret. Nerfan cum tota auiditate perituris illis bonis inhiaret, cupiditate caecus ensen arripit: sed vt sublata manu in sacrum illud pectus figere tentauit, protinus ingenti quodam tremore correptus, lapidis instar, immotus permanfit.

At Christi martyr pio oculorum obtutu eum configens: O Nerfan, inquit, vsquequò tua malitia progreditur? Non satis tibi est Christum Saluatorem negasse, nisi in illius etiam seruos mente crudeli, ac truculenta manu inueharis? Væ tibi, væ tibi, infœlix. Quid facies aut quò fugies in terribili illo Dei iudicio; vbi nullus euadendi locus relictus erit? Ille verò his sermonibus nihil permotus, impia mente in proposito scelere perseuerabat, ac stricto ense mortem viro sancto inferre nitabatur: sed tremula manus, nec semel quidem opportunam plagam infligere potuit. At beatus Bademus multis impotentis gladij ictibus tandem concisus, sanctum Deo spiritum tradidit: Nerfan verò, qui cæca mente ad diuitias aspirabat, ijs non modo potitus est, sed debitas etiam, diuersis oppressus malis ac tandem ense malè perditos, pœnas luit. Septem autem eius discipuli, quatuor annis carceris squalore vexati, tandem morte Saborij regis in libertatem restituti sunt.

Nerfan i-  
betur inter  
ficere Bades-  
mum.

Bademus  
obiurgat  
Nerfan.

Bademus er-  
deliter ne-  
catur.

Vltio diui-  
na in Ner-  
fan.

VITA S. MARIAE AEGYPTIACAE EX  
ea quam Sophronius Episcopus Hierosolymitanus  
scripta reliquit. Claruit autem hæc Maria, tem-  
poribus Iustini Senioris Imperatoris, circa an-  
num Domini, quingentesimum atque vigesimum  
quintum.

C. Baro. 10.  
7. Ann. Eccl.

Zosi.